



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 9. Carolus d'Angennes de Rambouillet Cardinalis vita functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. bonio Cardinale pro sacri foederis Duce
A.C. 1587. sanctæ hujus Unionis Vicarius nomi-
 natus, atque adversus Henricum So-
 rorium suum arma sumere paratus
 fuerit.

§. IX.

*Carolus d' Angennes de Rambouillet
 Cardinalis vita functus.*

*Ciac. t. 3
 p. 1047.
 Courvaisher
 hist. Frsq.
 du Mans.
 Frizon. &
 Aub. l. c.*

Sextus erat Carolus d'Angennes de
 Rambouillet Gallus Jacobi Domini
 de Rambovilleto, ac Isabellæ Cotereau
 Dominæ de Maintenon tertius filius,
 qui pridie Calendas Novembris an-
 no millesimo quingentesimo trigesimo
 primam lucem aspexit, ac juvenis ad-
 huc optimis artibus excultus est, eva-
 sitque Vir solidæ doctrinæ, incorrupto-
 rum morum, perpetuæque innocentiae
 in Regum Galliae Aula, in qua, et si
 hæc omnium corruptissima esset, ra-
 ra semper innocentia clarus versabatur.
 Postea die vigesima secunda Octobris
 anno post Christum natum millesimo
 quingentesimo quinquagesimo nono a
 Carolo IX., & Catharina de Medicis
 Regina ad Cenomanensem Episcopatum
 nominabatur, atque anno sequenti die
 secunda ejusdem Mensis Episcopalem
 suam Urbem ingrediebatur, quam ta-
 men paulo post a Calvinistis invadi, exspo-
 liarique non sine animi sui dolore cernere
 cogere

Sæcul. XVI.
A. C. 1587.

cogebatur; quippe perfidus quidam fidei desertor nomine Merlinus, postquam ibidem quamdam Religiosam Virginem stupro violaverat, suis declamationibus in publico foro habitis quamplurimos cives adeo dementabat, ut hi ad urbem suam Protestantes accerferent: equidem Carolus damna ab hæreticis Ecclesiæ Cathedrali ad sanctum julianum illata resarcire nitebatur, unde colligere fas est, quod ipse ad hæc petulantias nec sua negligentia, nec avaritia ansam præbuerit, prout tamen falso insimulabatur. Ceterum Anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Tridentinæ Synodo jamjam ad exitium vergenti interfuit, atque a Rege Legatus ad Pium V. Papam decretus ab eodem Romana Purpura decorabatur, quam etiam Mense Majo Anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo acceperat, ac Cardinalitia dignitate insignis Turonensis Provinciæ Synodo, ejusque actis Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio subscripserat: insuper Romæ sacris interfuit comitiis, in quibus Gregorius XIII., & Sixtus V. in summos Pontifices eligebantur, sub cuius postremi Papæ Pontificatu Carolus Mense Martio Castri - novi in Etruria,

Sæcul. XVI. ubi Sixti V. jussu Governatorem egerat,
A.C. 1587. anno salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo octogesimo septimo annos natus
 quinquaginta sex, quatuor Menses, &
 viginti tres dies non sine propinati ve-
 neni suspitione obiit, corpusque ejus in
 Ecclesia Fratrum Minorum de obser-
 vantia sepultum est: ceterum hic Car-
 dinalis summa erga pauperes charitate
 eminebat.

§. X.

Savellii Cardinalis extrema.

Ciac. Villo-
vell. p. 673.
Et Aub. l. c. **S**eptimus, ac postremus erat Jacobus
 Savellius, ex cujus familia duo Ro-
 mani Pontifices Ecclesiam illustrabant,
 & quidem primo Honorius III. anno
 post Christum natum millesimo ducen-
 tesimo vigesimo septimo, & Hono-
 rius IV. Anno Domini millesimo ducen-
 tesimo octogesimo septimo mortuus:
 plures insuper Cardinales ex eadem
 illustrissima stirpe prodire. Cete-
 rum Jacobus, de cujus morte in præ-
 sentiarum agimus, anno reparatæ sa-
 lutis millesimo quingentesimo vigesimo
 tertio die vigesima octava Octobris natus
 Joannis Baptistæ Savellii Filius erat,
 qui a Paulo III., cui sanguine junctus
 erat, primo cubicularius, ac postea
 Patavii studiis vacans Cardinalis Dia-
 conus nominabatur adjecta Nicastrien-
 sis